

continentem, sed sacerdotem. An autem Pontifex possit dispensare circa votum solemne, ad hoc non respondit, posuitque has conclusiones: Pontifex dispensat cum eo, qui habuit unam virginem, ut fiat sacerdos, cap. 13 *Quoniam* 31. dist., et 28. dist. cap. et de cleric. coniug. diaconi<sup>1</sup>. Nam cum id prohibetur iure ecclesiastico, Pontifex potest illud tollere. Secunda conclusio: Pontifex potest dispensare, ut diaconi et subdiaconi ducant uxores, quod saepius factum est. Tertia propositio: Nec Pontifex neque concilium potest dispensare cum eo, qui est actu presbyter, ut ducat uxorem, <non ex defectu auctoritatis, sed quia est infactibile, sicut Deus non potest facere, ut Hieronymus ait, quod beata Virgo non fuerit<sup>a</sup> virgo<sup>2</sup> et similia><sup>b</sup>. Quod etiam sentit Augustinus lib. de nupt. et concup. et 1. lib. solil.<sup>c</sup> <et quaest. 127 in lib. qu. vet. et nov. Testam.><sup>d</sup>, et Eusebius l. 2 [1], cap. 9 de demonstr. evang.<sup>e</sup> et Dionysius l. 3, parte 3. de eccl. hier., qui ostendit<sup>f</sup>, munia sacerdotum repugnare muneribus uxorum et coniugatorum. Et Hieronymus super 56. *Isai.* ait, sacerdotes esse holocausta, quae super altare cremantur<sup>g</sup>. Et Ignatius in epist. ad Trallenses<sup>h</sup> docet, qui sint actus sacerdotum, et <idem declarat><sup>i</sup> Nicolaus de Cusa cap. 6. lib. de docta ignor. <sup>j</sup>, et ita etiam habet consuetudo et traditio ecclesiae, ut episcopus et presbyter uxorem non ducat. An autem expedit dispensare, hoc quae situm natum est, quia aliqui tenent, id esse dispensabile; respondit, non expedire, quia non expedit agere contra consuetudinem ecclesiae et decreta maiorum, iuxta ea, quae Clemens<sup>k</sup> ait<sup>l</sup>: Igne aeterno dignus est, qui decreta maiorum negligit. Nam si tanta munditia et continentia requirebatur in sacerdotibus antiquae legis sacrificia oblaturis, quanta requirenda est in sacerdotibus novae legis, qui Christi corpus oblaturi sunt? Unde Moysi ad rubrum approximatu dictum est, ut purificaret se<sup>m</sup>, et comedenti agnum debebant constringere renes<sup>n</sup>, quod Gregorius exponit, ut essent continentis ab uxoribus. Et Moses praecipit filiis Israel audituris verba Dei, ut ab uxoribus abstinerent<sup>o</sup>, et David comedens panem propositionis interrogatur<sup>p</sup>, an mundus esset ab uxoribus.

Ioannes de Ludenna ord. Praed. Hispanus, dialogo inter eum et Calvinum usus ad articulos respondit eosque haereticos esse comprobavit, coelibatumque sacerdotum a Christo et ab ecclesia commendatum et praeceptum ostendit, proponens quinque articulos: 1. matrimonium fidelium<sup>q</sup> esse <magnum donum Dei gratiae promissionem><sup>r</sup> habens; 2. castitas anteponenda matrimonio, <maiorisque gratiam dare Christum continentibus quam coniugibus;><sup>s</sup> | 3. si nullae existant leges ecclesiae <prohibentes coniugium sacerdotum><sup>t</sup>, expediret nihilominus<sup>u</sup>, ut sacerdotes continerent; 4. pauci presbyteri continent, quia nolunt continere; 5. ecclesia mirum in modum laudat coniugium. Primum articulum probavit, distinguens inter fidelium et infidelium matrimonium; illud videlicet esse indissoluble propter fidem coniugium, hoc solubile multis ex causis, ut fornicationis, impotentiae etc. Coniugesque fidelium tenentur se invicem diligere, sicut Christus dilexit ecclesiam; id autem praestare non possunt absque dono Dei; ergo matrimonium fidelium est donum Dei; propterea in sacramento matrimonii datur a Deo gratia. Comprobavitque, matrimonium sacramentum a Christo institutum.

Et cum hora esset iam 18., dimittitur congregatio et datur etiam ei locus in futura congregazione, ut votum suum absolvere possit.

<sup>a</sup> Del. sit.      <sup>b</sup> Om. Th.      <sup>c</sup> In margine.      <sup>d</sup> Th. ostendunt.  
<sup>e</sup> Codd. Tralianum.      <sup>f</sup> Super lineam.      <sup>g</sup> Del.. in epist. ad Iac.  
<sup>h</sup> Del. donum supernaturale, gratiam Dei.

248<sup>r</sup>

<sup>1</sup> Videtur legendum: Cap. *Diconi* et de clericis coniugatis X lib. 3, 3. — Cap. 8 *Diconi* est canon 10 concilii Ancyrani, ut supra p. 429 adn. 3. Idem fere est cap. 1 *Diaconus* dist. 27, quod caput per Tricium allegatum esse, videbimus infra in voto Didaci de Payva.

<sup>2</sup> Hanc sententiam in libris Hieronymi obviavam non habui.

<sup>3</sup> Lib. 1 cap. 10 n. 17 (Migne XXXII 878), ubi Augustinus querenti de uxorum iucunditate respondet: *Quantumlibet velis eam pingere atque cumulare bonis omnibus: nihil mihi tam fugiendum quam concubitum esse decrevi; nihil esse sentio, quod magis ex arce deiiciat animam virilem, quam blandimenta feminea corporum que ille contactus, sine quo uxor haberi non potest.*

<sup>4</sup> Liber apocryphus, supra p. 429 adn. 8.

<sup>5</sup> Vide supra p. 438 adn. 14.

<sup>6</sup> In *Is.* 56, 8 et 9 (Migne XXIV 542): *Holo-*

*causta sunt, quae super altare integra concremantur. Victimae et hostiae, quarum pars offertur altari, pars sacerdotibus traditur. . . Sed hoc scire debemus, quod holocausta eunuchi offerunt, qui totos se consecrant Deo; victimas autem alienigenae, qui ad tempus vacant orationi etc.*

<sup>7</sup> Lib. 3 cap. 6 (Parisii 1514 I f. XXVIII<sup>r</sup>): *Nam cum homo ex semine Adam in carnalibus voluptatibus sit genitus, in quo ipsa animalitas secundum propagacionem vincit spiritualitatem: hinc ipsa natura in radice originis carnalibus delictis immersa, per quas homo in esse a patre prodiit, penitus impotens remanet ad transcendendum temporalia pro amplexu spiritualium.*

<sup>8</sup> Epistola apocrypha ad Iacobum in fine. Hinc schius p. 46.

<sup>9</sup> Ex. 3, 5.

<sup>10</sup> Ex. 12, 11.

<sup>11</sup> Ex. 10, 15.

<sup>12</sup> I Reg. 21, 4.

## 154.

## Ioannis Ludegnani de matrimonio et sacerdotum coelibatu disputatio.

16. martii 1563.

Cod. Monacensis latinus 712 p. 900 (Acta I. B. Ficleri, orig.). Ex editione Patavina a. 1563 et Labbeo ed.  
Le Plat V 725—743.

Ego quidem, I<sup>mi</sup> cardinales, Patres R<sup>mi</sup>, oratores doctissimi, pauperem Ruth imitatus  
a tergo sequar quosdam magnos messores, qui ante me dixerunt, colligamque spiculas  
paucas et parvas, quas illi post se reliquerunt, et eas a pulvere et paleis purgatas pulchrae  
Noemi, hoc est sanctae catholicae matri meae, praesentabo. Faxit Deus, ut vos bene-  
dicatis mihi, sicut Noemi pauperi filiae suae parum hordei, sed mundi, de sacculo suo 5  
praesentanti largiter benedixit. Prius vero quam proferam aut in medium adducam, quod  
porto, Spiritus Sancti gratiam vestramque omnium attentionem supplex imploro. In  
nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Cupio sane, Patres sap<sup>m</sup>, | claritate,  
brevitate et fidei sententiarum pondere vobis placere sive, ut rhetores aiunt, auditores  
delectare. Quod ut praestarem, constitui duas personas in hac sequenti disputatione, 10  
meam videlicet Lutheranorum sub nomine Calvinus, eorum, si diis placet, principis et  
fautoris, inducere<sup>a</sup>, ut sic quasi impolito quodam dialogismo ad duos articulos de coeli-  
batu nobis propositos efficaciter compendioseque respondeam. Rem igitur ipsam aggredior.

Heus bone vir Calvine, Deus te convertat. Quidnam monstri nunc alis in pectore  
tuo? Calvinus. Egone? Cogito cogitationes, quibus coelibatum evertam et meum 15  
meorumque apostatarum meretriceum statum constabiliam. Ludagna<sup>b</sup>. Sanusne es,  
o Calvine? Coelibatum, quem Deus instituit, Ioannes Baptista servavit, Christus laudavit  
et praedicavit, ecclesia ab apostolis usque nunc recepit, tu miser homuncio evertere con-  
tendis? An nescis, quod opus, quod ex Deo est, nullis humanis aut satanicis viribus  
dissolvi potest?<sup>1</sup> Deliras, Calvine, deliras, tua te libido bis stultum fecit. 20

Nos quidem, ait Calvinus, sapimus; tu vero cucullate desipis; nam D<sup>ni</sup> praede-  
cessores mei, scil. Dr. Martinus, Zwinglius, Pomeranus, Oecolampadius, Melanchthon,  
Bucerus et ego cum reliqua inferorum caterva non negamus aut negare possumus, con-  
tinentiam esse donum Dei; scimus enim, quosdam sanctos viros sub lege naturae, non-  
nullos sub scripta, quamplures vero sub gratia eo dono praeditos coelibem vitam, Deo 25  
multo gratam, vixisse; sed nos novi apostoli legatione, qua in mundo pro satana fungimur,  
nostra auctoritate vestrum, scil. sacerdotum, <nonnorum et nonnarum><sup>c</sup>, impurum male-  
que servatum coelibatum reiiciimus et damnamus, reiectumque atque damnatum valde  
cupimus.

[Ludagna.] O caeci insensati Lutherani, quis fascinavit oculos vestros, si 30  
quidem fidem Dei evacuari docetis propter quorundam hominum infidelitatem? Dicite  
mihi, vertiginosi spiritus, si coelibatum propter male servantes damnatis, cur matrimonium  
non damnatis propter infinitos coniuges adulteros, qui mutuo data fide sub matrimonio  
abutuntur? Immo cur omni ex parte Christianismum et Evangelium ipsum non damnatis?  
Quandoquidem innumeri sunt Christiani, quippe qui datam communem fidem in baptismo 35  
quotidie frangunt et Evangelio non obediunt. Sed dicite mihi, cur apostoli Iesu Christi  
castitatem vidualem non dissuaserunt<sup>2</sup>, cum suo tempore multas viduas primam fidem  
irritam fecisse viderent?<sup>3</sup> Siste, Calvine, siste, ne avertas oculos, non contrahas frontem,  
noli nasum scalpere, mane; volo enim, antequam hinc discedam, te et tuos tuasque 40  
Madianitas<sup>d</sup> meretrices Phineesio gladio confodere<sup>4</sup>. Per te tuosque complices matrimonium  
non est donum Dei supranaturale; dicitis enim, non habere gratiae promissionem et ex  
consequenti non esse sacramentum, sed contractum tantum civilem, a solo coniugum  
mutuo consensu dependens. Dicitis praeterea, coelibatum donum Dei esse desursum  
descendens. Si matrimonium non est donum Dei, et coelibatus est donum Dei super-  
naturale: unde ergo, rogo, colligitis, matrimonium anteponendum esse coelibati et Deum 45  
maiorem gratiam largiri coniugibus quam vitam coelibem profitentibus? Iste enim est  
vester primus articulus a nobis examinandus. Cur obmutescis, Calvine, cur non respondes?

<sup>a</sup> Edd. induere.<sup>b</sup> Om. edd.<sup>c</sup> Edd. monachorumque.<sup>d</sup> Edd. Madianitidas.<sup>1</sup> Act. 5, 39.<sup>2</sup> Cor. 7, 8 et 9.<sup>3</sup> 1 Tim. 5, 11 sq.<sup>4</sup> Num. 25, 6 sq.; Ps. 105, 30.

Non obmutesco, ait Calvinus, sed ex multis solutionibus, quibus tuam obiectionem diluere possum, unam singularem cogito, cui nec tu nec quisquam rasorum aliquid obiicere possit. Eccum eam! Concedimus quidem, quod matrimonium non est donum Dei, immo amplius cum Luthero duce nostro dicimus, quod fidelium matrimonium nihil differt ab infidelium coniugio; praeterea concedimus, coelibatum esse donum Dei supernaturale, paucis tamen communicatum. Cum hoc tamen optime cohaeret, quod matrimonium sit anteponendum coelibati et quod maiorem gratiam largiatur Deus coniugibus quam continentibus; et ratio peremptoria est, ut uno verbo dicamus, quoniam *Melius est nubere quam uri*<sup>1</sup>. Unde sic colligo: Melius est nubere quam uri; atqui coniuges sub matrimonio non uruntur, coelibes vero sub coelibatu uruntur; ergo de primo ad ultimum in bona consequentia: melius est coniugium quam continentia, et maiorem gratiam confert Deus coniugibus quam continentibus. Ecce nostram Lutheranicam sapientiam, cui adversarii omnes resistere non poterunt<sup>a</sup>.

[*L u d e g n a.*] Subrides, Calvine, subrides; videris tuba canere ante triumphum. Si habes aures audiendi, audi. Quaero a vobis, an Eva aspectu pomi delectata urenretur necne? Respondebis, scio, Calvine: Urebatur; nam uri nihil aliud est quam vehementer tentari. Bene dicas, Calvine; sed ultra quaero, utrum ex duabus fuisse melius Evae, de prohibito scil. fructu comedere, an uri? Respondebis utique, nisi contra conscientiam velis, ut frequenter vos Lutherani soletis, loqui: Multo melius fuisse Evae perpetuo uri quam semel prohibitum fructum | tangere. Optime. Cum ergo paralogizasti inquietus: Melius est nubere quam uri, ergo melius matrimonium quam continentia, et maiorem gratiam largitur Deus coniugibus quam continentibus: sic collegisti perinde ac si subintulisses: Ergo melius fuit Evae peccare, quam valde tentari, et maiorem dedit Deus Evae gratiam, cum peccaret, quam cum valde tentaretur. Quo quid obsecro blasphemius dici potest?

Sed scio, Calvine, scio te utraque quod aiunt manu meam similitudinem perfide negaturum. Nam tuae farinae doctores et tu perfide negatis, peccatum esse sacerdotibus aut monachis, quibus non datum est continere, nubere; dicitis enim, ecclesiam non posse sacerdotibus aut monachis nuptias prohibere, et pro vestro ingenio et malo erga eam affectu additis, tam ignoranter quam impie, ut in secundo articulo nobis proposito ex vobis refertur, quod nuptias prohibere sacerdotibus est eas damnare; quapropter magnam esse dissimilitudinem Evae comedentis de fructu vetito, et monachi aut sacerdotis uxorem ducentis. <Respondebitis: Nam cum><sup>2</sup> Deus homini arborem scientiae boni et mali interdixit<sup>3</sup>, suo iure usus est; ecclesia vero nullo iure interdixit sacerdoti aut monacho nuptias, quae utique nulli non sunt concessae.

Ego quidem, Calvine, prudens et sciens omitto istam vestram blasphemam evasionem nunc revellere<sup>b</sup>, quoniam Deo favente te in progressu meae disputationis aperte docebo, ecclesiam optimo iure, nempe a Christo immediate derivato, legem de coelibatu sacerdotum tulisse, quae procul dubio non tantum propter amorem<sup>c</sup>, sed conscientiam omnes obligat. Idcirco ultra progredior, et quamvis videns non videas et audiens non intelligas, ne forte convertaris et sanet te Deus<sup>d</sup>: tamen, ut fidei, quae in nobis est de coelibatu sacerdotum, invictam rationem coram universa ecclesia reddam<sup>e</sup> et ut vestri errores in eo negotio coram luce manifesti fiant: quinque articulos vestris nugis valde oppositos in medium proferam.

45 Sit primus articulus: Matrimonium fidelium est donum Dei supernaturale, gratiae promissionem habens.

Secundus: Coelibatus iure divino est anteponendus matrimonio, et abundantiorem gratiam tribuit Deus vitam coelibem profitentibus quam coniugibus.

Tertius: Si nullae leges ecclesiasticae aut nulla essent vota monastica, liceret quidem sacerdotibus et monachis contrahere; numquam tamen expediret nisi forte in casu magnae necessitatis.

Quartus: Pauci continent, quia pauci | volunt continere.

Quintus: Lex de coelibatu sacerdotum valde multum honorat nuptias, tantum abest ut damnet, sicut Lutherani impie dicunt.

\* *Edd.* potuerunt.

<sup>b</sup> *Edd.* refellere.

<sup>c</sup> *Edd.* morem.

<sup>1</sup> 1 Cor. 7, 9.

<sup>2</sup> Forsan melius *Respondebitis nam: Cum.*

<sup>3</sup> Gen. 2, 17. <sup>4</sup> Is. 6, 9 et 10; Matth. 13, 14 et 15.

<sup>5</sup> Cf. 1 Petr. 3, 15.

Respondet Calvinus: Dispeream, si tuis umquam articulis credidero, nisi prius expresso verbo Dei aut validis rationibus inde collectis eos probaveris, quod facies ad calendas graecas.

[Ludenna.] Ego certe, Calvine, plures locos quampluresque fideles rationes ex Evangelio collectas, quibus meos articulos evangelicos esse probem, in medium producam, tametsi bene sciam, te pro more vestro perperam verbum Dei glossaturum et argumentationes quibus soles ineptiis subterfugiturum, sicut glossasti et subterfugisti omnes Scripturae auctoritates vivacissimae ratiocinationes, quae a theologis doctis, qui ante me dixere in prima, 2., 3. et 4. classe, ingeniosissime allatae sunt.

Respondet Calvinus: Ego quidem, cum illi disputarent, non aderam; non enim 10 fui vocatus; et si spiritu tunc praesens fui, ut frequenter soleo interesse Tridentino concilio, non animadverti illorum argumentationes; tu vero recole eas, ut tibi et illis satisfaciam.

[Ludenna.] Non licet mihi, Calvine, falcem meam in alienam mittere messem; 15 mei enim muneris est, quibusdam reliquiis, quas post illos collegi, vos de falsitate duorum vestrorum articulorum convincere; tantum abest, ut vivacissimis illorum rationibus et Scripturae auctoritatibus satisfacere valeas. Verum ut ita esse, quod dico, vos omnes percipiatis, pergo meum articulum efficaciter probare, in quo unum praesuppono, pro certo constituo, et aliud contra vos affirmo. Praesuppono enim, latissimum esse discrimen inter matrimonium fidelium et infidelium, quod vos, nescio qua audaci ignorantia, negastis. Discrimen vero est, quod matrimonium infidelium rationabiliter certis de causis dissolvi aut dirimi potest, utpote a causa variabili et instabili, nempe coniugum tantum mutuo consensu dependens. Matrimonium vero fidelium nulla ratione dirimi aut dissolvi potest, quia non tantum a mutuo coniugum consensu, sed a fide *(explicata vel implicita)*<sup>a</sup> coniunctionis Christi et ecclesiae, qua fideles contrahunt, pendet. Unde duo 25 infero, quae apud me certissima sunt: primo quod coniugium infidelium triplici de causa rationabiliter dirimi potest, scil. propter fornicationem, deinde cum altero coniugum ad fidem converso alter non vult manere, demum propter magnam impotentiam alterius coniugum. Matrimonium autem fidelium neque propter fornicationem, neque si alter 30 coniugum fidem abneget, neque propter alterius coniugum impotentiam dirimi aut dissolvi potest<sup>1</sup>. Secundo infero, quod de matrimonio rato, consummato et non consummato idem est iudicium, ita quod, sicut per nullam inferiorem potentiam potest in primo dispensari, ita neque in secundo<sup>2</sup>. Ad argumenta, quae contra facta sunt aut fieri possunt, ego nutu oculi responderem, si per tempus liceret. Iis veluti praeludiis ad ea, quae dicturi sumus, praelibatis, unica ratiuncula, expresso verbo Dei collecta, 35 primum articulum confirmo. Coniuges fideles expresso verbo Dei praecipiuntur se mutuo diligere, sicut Christus dilexit ecclesiam<sup>3</sup>. Atqui eam supranaturalem dilectionem illi non possunt praestare nisi superveniente aliquo supernaturali dono gratiam promittente aut continente. Ergo matrimonium fidelium donum Dei est supernaturale gratiam promittens aut continens. Consequentia est bona; maior est de fide, minor de fide: *(ergo 40 conclusio est de fide.)*<sup>b</sup>

Respondet Calvinus: Concedimus quidem consequentiam, item maiorem esse de fide; sed negamus, minorem esse de fide, si quidem nullib[us] est revelata et gratia baptismi sufficit<sup>c</sup>, ut fideles coniuges p[re]ceptum illud apostolicum adimpleant.

[Ludenna.] Calvine, si tu esses bestia munda, ungulam dividens et ruminans<sup>4</sup>, non sic subterfugisses lucem; verum quoniam ego bos sum lassus<sup>5</sup> utrumque faciens: ne diutius immorer, una tantum similitudine explodam tuam evasionem. Sicut enim praeter gratiam baptismalem propter pusillanimes et a fide et caritate deficientes fideles voluit Dominus, alia esse praeter baptismum sacramenta gratiam novam continentia, quibus illi corroborarentur et restituerentur: ita procul dubio propter coniuges fideles, qui amore mundi et carnis distracti eam dilectionem praestare non potuissent, voluit

<sup>a</sup> *Edd. explicata.*

<sup>b</sup> *Om. edd.*

<sup>c</sup> *Ms. et edd. sufficiat.*

<sup>1</sup> Distingue tamen inter impotentiam praecedentem et subsequentem, quia praecedens impedit vel dirimit matrimonium, subsequens non dissolvit.

<sup>2</sup> Communis tamen sententia et usus docent, in matrimonio rato, sed non consummato dispensari posse, licet non per *inferiorem potentiam*.

<sup>3</sup> *Eph. 5, 25.*

<sup>4</sup> *Lev. 11, 3; Deut. 14, 6.*  
<sup>5</sup> Ex epistola 102 cap. 2 Hieronymi ad Augustinum (Migne XXII 831; Hilberg, C.V. LV 236): *Memento vulgaris proverbii, quod bos lassus fortius figat pedem, scil. quod a iuvene senex in disputando non sit parvi pendendus.*

etiam, sub matrimonio fidelium<sup>a</sup> novam gratiam contineri. Quapropter matrimonium fidelium verum est sacramentum.

Sed replicat Calvinus: Omitto nunc, quod possem tibi respondere circa numerum sacramentorum. Nam ego meique sequaces non sumus tam pii, quam fuit praedecessor 5 noster Lutherus, si quidem ille tria aut quatuor<sup>1</sup> ad summum admisit; ego vero unum tantum admitto, nempe baptismum. < A parte><sup>b</sup> igitur posita ea disputatione, contra ea, quae dixisti, ex tuis principiis tecum volo paucis disputare. Per te tuosque scholasticos ecclesia, quae potestatem excellentiae non habet, non potest | instituere sacramenta; atqui Christus nusquam instituit neque voluit, matrimonium esse sacramentum: ergo totum 10 tuum fundamentum ruit.

[Ludenna.] Concedo tibi, Calvine, quod ecclesia non potest instituere sacramenta; ad id vero, quod in minore tua adiicis, scil. quod nusquam Christus instituit neque voluit, matrimonium esse sacramentum: remitto te ad disputationem eruditissimam D<sup>m</sup> Vigorii doctoris Galli, qui, cum adversus vos in prima classe disputaret<sup>2</sup>, ingeniosissime et elegan- 15 tissime multis efficacissimis rationibus collegit, Matth. 19 matrimonium a Christo esse institutum et in multis locis ab Apostolo esse promulgatum. Quibus omnibus praeter vivam traditionem satis constat<sup>c</sup>, fundamentum meum, quo dixi, quod in matrimonio fidelium nova gratia continetur aut promittitur, ut vos loquimini, non solum non ruere, ut vestra fundamenta, quae super arenam sunt aedificata, sed firmum esse et stabile, 20 supra firmam nempe petram aedificatum<sup>d</sup>.

Verum adhuc instat Calvinus et iterum nobis opponit: Per te et tuos omne sacramentum debet constare ex materia et forma certissimis; sed inter vos numquam constat de materia et forma sacramenti matrimonii: ergo falsum praesupposuisti tenendo pro certo, quod matrimonium fidelium est sacramentum.

[Ludenna] Breviter respondeo, Calvine, ad vestram cavillatiunculam. In nostris quidem scholis commode valde tractamus de materia et forma sacramentorum; nam novi theologi per illa vocabula, in philosophia, quam sunt edocti, communia, manu ducuntur ad rectam intelligentiam catholicumque et legitimum sacramentorum usum; verum in gravioribus disputationibus satis nobis est intelligere, quod ubicumque Christus instituit 25 sacramentum, illud constat ex verbo Dei et elemento efficiente, quod significat, unde non curiosius<sup>e</sup> inquirimus de certa materia et forma sacramentorum, praesertim in matrimonio, ubi ipsi coniuges fideles auctoritate divina, qua coniunguntur, sunt ipsa materia atque forma, invicem sine ulla fictione in coniugium Christianis animis consentientes. Unde duo breviter hic adnotanda opportune veniunt: alterum est, quod forma predicti 30 sacramenti non est benedictio ministri, sicut quidam doctissimi theologi multis, sed male fundatis, ne | dicam frivilis argumentis in suis disputationibus adnisi sunt ostendere. Non enim benedictio aut minister externus necessitate sacramenti aut praecepsi divini, sed tantum ecclesiastici necessarius est, sine quo Christianum coniugium fieri commode non posse nemo ambigit; alterum vero, quod obiter adnotandum dixi, est, coniugium 35 clandestinum verum esse sacramentum, quod dico propter quosdam doctores, qui in ea parte vobiscum consentientes coniugium, quod invitatis parentibus, aut ministris ecclesiasticis non admotis<sup>f</sup> fit, irritum esse et inane omnino volunt, ac si coniugum verus consensus sine illis efficeret nihil. An vero similia coniugia, nempe clandestina, ab ecclesia possint et debeant irritari, quaestio est non parvi momenti, quam alibi copiosius 40 explicabo; unum tamen in hac materia universae ecclesiae persuasum esse cupio, videlicet, maiora forte inconvenientia secutura irritatis clandestinis matrimonii, quam sint non irritatis. Non enim mihi placet quorundam opinio, qui propter quosdam casus accidentales optimum fore, similia matrimonia omnino irritari, dicunt et cupiunt, non advertentes ad graviora mala, quae inde indubie sequerentur. Verum alibi, ut dixi, inconvenientia, quae 45 utrumque proveniunt, copiose ponderabo. Nunc vero ad meum<sup>g</sup> propositum cum adversariis redeo.

<sup>4</sup> Non enim quiescit adhuc Calvinus, sed contra meum secundum argumentum unam ex meis prioribus argumentationibus retorquet, inquiens: Do tibi, Thomista, ait

<sup>a</sup> Ms. fideli.      <sup>b</sup> Edd. Aperte.      <sup>c</sup> Ms. et edd. addunt esse.      <sup>d</sup> Edd. incuriosius.  
<sup>e</sup> Edd. admonitis.      <sup>f</sup> Edd. addunt primum.

<sup>1</sup> Rectius: duo aut tria.

<sup>2</sup> Die 12. februarii, supra p. 395—397.

<sup>3</sup> Matth. 7, 24 sq.

Concilium Tridentinum. IX.

<sup>4</sup> Incipit pars vespertina orationis, scil. a secundo articulo, quod coelibatus praferendum est matrimonio. Vide initium documenti sequentis.

Calvinus, gratia disputationis, quod matrimonium est sacramentum, ut vos vultis, gratiae promissionem habens, et coelibatus non est sacramentum, sed tantum unum ex donis gratis datis. Dic mihi, sophista, unde colligis, coelibatum anteponendum esse iure divino matrimonio, et maiorem dari continentibus quam coniugibus gratiam, ut in tuo secundo articulo proposuisti; et cave, ne mihi respondeas per illam tritam in vestris scholis 5 distinctionem de opere operato et opere ex fide operantis, aut per illam thomisticam de diversitate obiectorum, aut per vestras decretales et patrum vobiscum consentientium sententias; nam illa omnia reiicimus nulliusque sunt apud nos fidei.

[Ludenna.] Satis nobis<sup>a</sup> notum est, Calvine, scholasticas distinctiones, sacros canones<sup>b</sup> et patrum dicta, quae contra vos sunt, eo loco a vobis haberi, quo a Iudeis 10 novum Testamentum, quod, sicut illi perfide negant, sic vos, quae inter Catholicos certissima sunt, temerario ausu contra conscientiam negatis. Quapropter iis principiis, quae vos male affecti non admittitis, omissis, communibus, id est Scripturis, tecum agam et unico et brevissimo entymemate priorem partem mei secundi articuli sic probo. Sequitur bene: Dominus Iesus Christus in Evangelio laudat et praefert coelibatum matrimonio: ergo iure divino anteponendus<sup>c</sup> est?

Respondet Calvinus: Concedimus quidem consequentiam, sed negamus antecedens; nam quamvis Dominus Matth. 19 continentiam *⟨iam multis⟩<sup>d</sup>* commendaverit, non tamen matrimonio anteposuit.

[Ludenna.] Accede propius, Calvine, ut melius audias vocem te utinam sapienter 20 incantantis<sup>e</sup>, et ut te ad interrogata mihi respondente ex ore tuo<sup>f</sup> manifeste probem, quod negasti, meum antecedens. Dic mihi, obsecro, bone vir: cum Christo indissolubilitatem Christiani matrimonii docenti discipuli in citato a te loco responderunt<sup>g</sup>: *Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit nubere:* quid per illam suam sententiam voluerunt Magistro significare?

Calvinus respondet: Idem, ac si dicerent: Si quidem vinculum matrimonii adeo est rigorosum et constans, melius est homini non nubere quam nubere.

[Ludenna.] Bene dicis, optime Calvine; dic mihi praeterea: cum Praeceptor subiunxit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est:* illud pronomen *istud* quid refert?

Respondet Calvinus: Refert orationem illam: *Non expedit nubere;* itaque sensus sententiae a Christo subiunctae est: non omnes intelligunt, quod melius est non nubere quam nubere, nisi tantum illi<sup>h</sup>, quibus concessum est hoc intelligere.

[Ludenna.] Perge, obsecro, Calvine, sic apposite respondere, et rursum dic mihi, quibus datum est intelligere, quod melius sit *⟨non nubere quam⟩<sup>i</sup> nubere?*

Respondet Calvinus: Christus subiuncta divisione se explicat, dum dicit<sup>j</sup>: *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero nati sunt, et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum,* ac si aperte dixisset: Tria sunt genera eunuchorum, quorum duo prima, nempe qui ex utero matris sunt eunuchi et qui ab hominibus facti sunt, quippe qui naturaliter intelligunt, quod melius est illis non nubere quam nubere; tertium vero genus eunuchorum, nempe ii, qui propter regnum coelorum se castraverunt supranaturaliter, hoc est, per fidem Christianis omnibus infusam intelligunt, quod absolute melius est non nubere quam nubere.

[Ludenna.] Recte certe discurristi, Calvine, utinam sic in omnibus. Ex ore ergo tuo vos omnes Lutheranos iudico<sup>k</sup>. Si Christiani omnes ex verbis D. N. Iesu Christi 45 intelligunt, melius esse non nubere quam nubere: ergo Christus praetulit et anteposuit coelibatum nuptiis.

Sed vicissim interrogat me Calvinus: Quandoquidem ego tibi respondi, tu pariter responde mihi: Cum Christus predictis verbis adiunxit: *Qui potest capere, capiat, nonne eo verbo absterret Christianos a coelibatu?* Quodsi absterret, cur, qui non habent donum 50 continentiae, passim continentiam profitentur?

[Ludenna.] Ad duo quaesita, Calvine, fideliter respondebo. Ad primum enim dico, falsissimum esse, quod Dominus illo verbo absterreat Christianos a continentia; nam eo consultit continentiam, quod et fatetur tuus haeresiarcha Lutherus in libello,

<sup>a</sup> Edd. mihi.

<sup>b</sup> Ms. et edd. anteponendum.

<sup>c</sup> Edd. multum.

<sup>d</sup> Ms. et edd. illis.

<sup>e</sup> Item nubere quam non.

<sup>1</sup> Ps. 57, 6.

<sup>2</sup> Luc. 19, 22.

<sup>3</sup> Matth. 19, 10.

<sup>4</sup> Matth. 19, 12.

<sup>5</sup> Luc. 19, 22.

quem edidit de votis monasticis<sup>1</sup>. Tantum abest, ut absterreat; fieri enim non potest, ut eodem verbo quispiam, quod melius est, consulat et absterreat. Ad secundum vero tibi respondebo in probatione mei quarti articuli; interea patienter me audi secundam partem secundi articuli alio simili enthymemate probantem. Optime enim sequitur: Domminus Iesus Christus in citato Matthaei capite pollicetur, maiorem gratiam se daturum continentibus quam non continentibus; ergo secunda pars nostri articuli secundi, qua dixi, quod Deus eodem iure<sup>2</sup> maiorem gratiam largiatur continentibus quam coniugatis, vera est. Antecedens vero, quod tu, Calvine, negare paratus es, breviter doceo ita esse ex verbo Domini, circa finem citati capituli dicentis<sup>3</sup>: *Qui reliquerit uxorem propter me, centuplum accipiet hic, et in futuro vitam aeternam possidebit.* Quo verbo, quaero a te, Calvine, quid pollicetur | Dominus continentibus? Numquid promittit, eis pro relicita uxore propter se, daturum videlicet centum in hoc saeculo aut ducentas in futuro? Absit, inquit, Calvine; sed promittit, se maiore et singulari favore in praesenti prosecuturum relinquenter uxorem propter se, quam non relinquenter, et in futuro eundem pro praemio vitam aeternam obtenturum. Ex tua ergo confessione, Calvine, quam tuorum omnium ore protulisti, vos omnes condemnno et intentum meum confirmo. Nam optime sequitur: Deus maiori favore et singulari gratia, quod idem est, prosecutur relinquentes uxores propter se: ergo maiori gratia donabuntur non accipientes uxorem propter Christum; quam accipientes, nisi forte retrocedendo velis dicere, quod Ioannes Baptista, et<sup>a</sup> evangelista et apostolus, qui propter regnum coelorum uxores non acceperunt, non obtinuerint maiorem et singulari gratiam, quam qui posthabito consilio Christi acceperunt. Quod, ni fallor, affirmare non audebis. Divo enim Paulo sub persona omnium vere et ex animo continentium, qui forte sicut ille<sup>b</sup>, uruntur, dictum est<sup>c</sup>: *Sufficit tibi gratia mea, gratia nimirum singularis, qua tu, ut contineas, si velis, donatus es.* Audisne, Calvine? Cur non respondes? Evanuisti? Abi in malam crucem; te enim absente de vestra doctrina triumphabo et reliquos meos tres articulos, quam breviter potero, verisimos esse docebo.

In tertio articulo multa dicuntur obiterque tanguntur, quae tamen omnia brevitas gratia simul sunt mihi declaranda et probanda. In quo dum dico, quod, si nulla lex ecclesiastica de sacerdotum coelibatu, aut nulla essent vota monastica, liceret quidem sacerdotibus aut monachis nubere, non tamen expediret. Primum enim et ante omnia praesuppono pro certoque constituo, coelibatum sacerdotum non esse iuris divini; ut vero, quae sub eo constituto a me dicenda sunt, maius robur habeant optimoque innitantur fundamento: advertendum est, quod apostoli duplice considerantur, uno modo ut apostoli, alio vero ut rectores et ecclesiae gubernatores. Advertendum insuper, quod, quaecumque | apostoli ut sic considerati praeceperunt<sup>d</sup> aut statuerunt, immutabilia et<sup>e</sup> indispensabilia sunt; quae vero ut rectores et gubernatores ecclesiae ordinarunt aut statuerunt, pro ratione temporum, personarum aut locorum mutabilia sunt aut dispensabilia. Verbi gratia de polygamia [!]. Dispensabilia, inquam, per Summum Pontem aut ecclesiam, parem in gubernatione cum eis [!] habentem potestatem. Sed nunc controvertitur inter catholicos doctores, an apostoli ut apostoli aut ut gubernatores ecclesiae praeceperint seu statuerint, sacerdotes, diaconos et hypodiaconos ab uxoribus abstinere aut non accipere, tantum consuluerint. Quidam enim asseverant, coelibatum sacerdotum, diaconorum et subdiaconorum esse statutum apostolicum, in quo nullam admittunt mutationem aut dispensationem; alii vero mitius loquuntur, dicentes, ab apostolis, secundum quod rectores fuerunt<sup>f</sup>, et gubernatores ecclesiae, eam legem de coelibatu ortum habuisse, quare in ea posse Summum Pontem aut ecclesiam dispensare concedunt.

<sup>a</sup> Om. edd.      <sup>b</sup> Ms. et edd. illi.      <sup>c</sup> Ms. utuntur.  
<sup>d</sup> Ms. receperunt.      <sup>e</sup> Edd. fuerint.

<sup>1</sup> Lutherus in dicto libro, cap. de virginitate, volens demonstrare, consilia evangelica non esse supra, sed infra praecepta, castitatemque non per se ipsam, sed nonnisi ratione quadam instrumentaliter et accidentali laudari: *Christus, inquit, eunuchos laudat, non quia castrant se ipsos, sed quia propter regnum coelorum sese castrant, non autem sic propter regnum coelorum, ut per castitatem salvifiant, alioquin omnes oportaret castrari, cum sola [!] fides salvos faciat, sed propter Evangelium,*

*quod vocat regnum coelorum, cui praedicando et propagando per populos ille felicius servit, qui dyakos et sine cura aliorum coelebs vivit.* Editio Basileae 1522 f. 10<sup>r</sup>. Quasi Christus Matth. 19, 12 nonnisi de apostolis et evangelistis eorumque successoribus locutus sit.

<sup>2</sup> Scilicet iure divino, prout consequitur e prima parte articuli secundi, supra p. 447 l. 47.

<sup>3</sup> Matth. 19, 29, adhibito etiam Marc. 10, 30.

<sup>4</sup> 2 Cor. 12, 9.

Si vero in tam gravi quaestione alicuius sit momenti mea sententia, credo equidem, quod apostoli nullo modorum quidquam de coelibatu statuerint, sed tantum voce et scripto ac exemplo consuluerint. Cogor etenim id sentire cum ex antiquis historiis, quae per alias citatae sunt, in quibus aliquos sacerdotes et diaconos aut uxores non reliquise, aut postea duxisse legitur, tum quibusdam coniecturalibus argumentationibus, fidei multum analogis, ex quibus compendii gratia duas tantum proponam, quae me multum in ea sententia confirmant, quarum prior sic se habet:

Si apostoli praecepto dispensabili aut indispensabili statuissent coelibatum ministrorum ecclesiae, numquam procul dubio inter Corinthianos suborta fuisset ulla de non accipiendis aut relinquendis uxoribus differentia. Constat attamen ex<sup>a</sup> discursu 7. prioris ad Corinthios capitinis, quod inter eos magnum exortum est dubium de continentia servanda; ergo fidelis et vero multum similis est coniectura, quod nullo statuto praeceperint apostoli continentiam, | sed tantum consuluerint, Magistrum in hoc sicut in omnibus imitantes. Singulae vero partes nostrae argumentationis paucis declarandae sunt; ex illo enim citato Apostoli capite certissimum est, magnum apud Corinthios emersisse dubium circa continentiae observationem; quidam enim eorum, qui coniuges non erant, rem publicam Christianam in omnibus, quibus<sup>b</sup> potest, similem debere esse rei publicae angelorum et coelesti sentiebant, ubi neque nubent neque nubentur<sup>1</sup>. Sicut enim ars imitatur naturam, in quantum potest, ita Christianos omnes, gratia supranaturali dotatos, angelicam sanctorum coelestem vitam, in quibus fieri potest, imitari debere credebant. Constat attamen, Christianos homines continententer posse vivere, si velint, qua coniectura forte moti quidam ex solutis praedicto sensu abundabant; quibus Apostolus evangelice respondet, a principio capitinis dicens<sup>2</sup>: *De quibus autem scripsisti mihi, bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem attamen unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaque suum virum, usque ad eum locum, qui incipit? Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecepio non ego, sed Dominus,* a quo usque ad finem capitinis coniugatos docet, quorum quidam de relinquendis uxoribus propter regnum coelorum cogitabant, priorum opinionem secuti; quibus apostolice praecepit, uxorem a viro aut virum ab uxore non discedere. Ei vero coniugatorum doctrinae de virginibus consilium interserit, sicut fidelis minister, quarum aliqui forte parentes virgines suas viris nolebant locare, cogitantes, non licere virginibus Christianis nubere, unde in fine sue<sup>c</sup> de virginibus saluberrimae doctrinae subiungit<sup>3</sup>: *Igitur qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, <et qui non iungit, melius facit>*<sup>d</sup>. Quod vero illa discordia et opinionum diversitas inter Corinthios exorta non fuisset, si apostoli praecepto dispensabili aut indispensabili statuissent coelibatum sacerdotum: coniicitur ex eo, quod stante tali praecepto de continentia pro sacerdotibus tantum <Catholici indubie intellexissent, ministris tantum><sup>d</sup> ecclesiae continentiam esse in praecepto, laicis vero in consilio tantum.

Secunda vero coniectura idem confirmo. Nam si apostolico praecepto nuptiae fuissent ministris ecclesiae interdictae, procul dubio aut omnes | praeceptum servassent, aut aliquis transgressorum insigni aliqua poena mulctatus fuisset. Si enim in Ananiā et Saphiram propter transgressionem statuti ad tempus tantum duraturi tam insigniter animadversum est<sup>4</sup>, quare non insignius animadversum fuisset in aliquem tanti statuti in aeternum duraturi transgressorē? Quod autem aliqui ex sacerdotibus aut diaconis retinuerint aut acceperint uxores, ex historiis ecclesiasticis constare videtur et ex *Act. Ap. c. 21, 9*, ubi refertur, quod Philippus evangelista, unus de septem diaconis, haberet filias prophetantes, et ex divo Paulo, qui episcopos, presbyteros et diaconos unius uxoris tantum voluit esse viros, qui filios haberent castos<sup>5</sup> etc. Ex iis et multis aliis collectionibus, quas prudens et sciens omitto, ne audita saepe replicem, constituo, coelibatum sacerdotum non esse iuris divini aut quoquo modo ab apostolis praeceptum, sed tantum consultum.

Sed mox opponent se mihi doctissimus doctor Turrensis<sup>6</sup> et D. Sanctes<sup>7</sup> doctor Gallus, qui illum secutus in sua de coelibatu disputatione, multis ingeniose col-

<sup>a</sup> Om. Ms.

<sup>b</sup> Ms. et edd. quae, forsitan quantum.

<sup>c</sup> Om. edd.

<sup>d</sup> Om. Ms. per saltuum.

<sup>1</sup> Matth. 22, 30. <sup>2</sup> 1 Cor. 7, 1 sq. <sup>3</sup> 1 Cor. 7, 38. <sup>4</sup> votis monasticis, quem edidit Romae a. 1561, item de coelibatu et matrimonii clandestinis, Venetiis 1563.

<sup>4</sup> Act. 5, 1—10. <sup>5</sup> 1 Tim. 3, 2 sq.

<sup>6</sup> Inter theologos, qui disputaverunt de sacramento matrimonii, non est, nescio qua de causa, Franciscus Turrianus; recurrentem igitur erit ad librum de

<sup>7</sup> Qui locutus est die 8. martii, supra p. 437 sq., demonstrare conatus, coelibatum sacerdotum esse de iure divino.

lectis antiquitatibus, ostendere cupiebat oppositum nostrae assertionis; cui cum omni reverentia respondeo, ipsum optime scire, quod sua omnia argumenta valde sunt solubilia; ille enim laudabili multum pietate divum Hieronymum imitatus nimium declinavit in partem coelibatus. Ex iis vero, quae paulo ante docui, prior pars nostri tertii articuli 5 manifeste deducitur, ubi dixi, quod, si nulla lex aut nulla essent vota monastica, liceret quidem sacerdotibus aut monachis nubere; numquam tamen expediret; nam in tali casu continentia esset tantum de consilio. Sed ad observationem consilii nemo tenetur, si nolit; ergo aperte sequitur, quod in tali casu liceret sacerdotibus aut monachis nubere. Numquam tamen expediret; quod unica, sed potissima ratione ostendo. Ex divi Pauli 10 auctoritate et experientia certum est, multa licere, quae non expedient<sup>1</sup>. Licebat enim apostolo, pecunias aut sustentationem pro suo ecclesiastico et evangelico sudore a Corinthianis accipere; sed non expediebat, et ita, ne offendiculum daret Evangelio, pecuniis iure divino et naturae debitibus parceret<sup>2</sup>. Sed ex nuptiis sacerdotum et monachorum magnam iacturam reciperet Evangelium cultusque Dei; | ergo in tali casu, ubi nulla lege 9<sup>14</sup> posita aut nullis votis monasticis existentibus, quantumvis liceret illis nubere, numquam tamen expediret.

Nunc vero superest ostendere, quod ex nuptiis ministrorum ecclesiae cultus Dei et Evangelium magnam iacturam reciperet; nam reliqua omnia, quae in argumentatione continentur, plana sunt. Si nuptiae considerentur secundum propriam et intrinsecam 20 rationem nuptiarum, certissimum est, eas non repugnare cultui divino, et ex consequenti nullam facere iacturam cultui divino aut Evangelio, quod eas approbat. Verum si considerantur secundum rationem propriam coniugum, muneris et ministrorum cultus divini: indubie ex nuptiis ministrorum maximam cultus divinus recipiet iacturam et grande offendiculum. Rationem vero propriam coniugum et ministrorum ecclesiae paucis 25 describit Apostolus in citato frequenter capite prioris ad Cor., inquiens [7, 32]: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Ac si aperte dixisset Apostolus: Si ministri ecclesiae habeant uxores, certe divisi sunt, divisi quidem a Deo sollicitudine rerum mundanarum et complacendi uxoribus atque filiorum 30 haereditatis causa, unde profecto magnum offendiculum daretur Evangelio, et magnam iacturam reciperet cultus Dei.

Nec valet, quod Lutherani dicunt, Apostolum eo in loco non facere mentionem de ministris ecclesiae, sed de omnibus solutis. Nam si de laicis non coniugatis verificantur, quae dicta sunt, a fortiori sacerdotibus et ministris Dei maxime convenient<sup>a</sup>, 35 quippe qui singulari ratione addicti sunt Deo, unde manifeste sequitur, quod, si lege de coelibatu aut votis monasticis non positis [], quamvis liceret eis nubere, non tamen expediret: a fortiori, posita lege et votis emissis, nec licet nec expedit, eos coniuges esse. Unde infero, quod sacerdotes et monachi, qui facta libertate nupsere, in malo sunt statu, 40 lege nimurum de continentia eos in conscientia obligante. Quis enim sanae mentis dicet, leges ad aedificationem ecclesiae et augmentum cultus divini positas aut non posse ecclesiam condere, aut conditas in conscientia non obligare?

Circa finem vero tertii articuli, ubi dico, quod forte in casu | magnae necessitatis 9<sup>15</sup> expediret dispensare in lege de continentia cum monachis et sacerdotibus: duo sunt mihi tractanda. Primo enim duo dubia, quae ex dictis suboriri videntur, quorum primum Lutherani in suis libris, secundum catholici quidam doctores tacita cogitatione mihi obiiciunt, dissolvam. Primo verum dubio insurgunt Lutherani dicentes: Si quidem Christus, qui potuit, continentiam non praecepit, sed tantum consuluit, et discipuli Magistrum imitati, tamquam fideles ministri, non praeceperunt, sed consuluerunt: cur postea ecclesia ex consilio fecit praceptum? Fuit enim hoc Lutherero validissimum argumentum, quo 45 sibi suisque persuasit, licere monachis et sacerdotibus nubere, non obstantibus lege ecclesiastica aut votis monasticis. Fatetur enim ille gloriosus inferniarcha in libello, quem de votis monasticis edidit, continentiam esse consilium, quod tamen solum admittit<sup>3</sup>; non attamen potest capacissimus doctor intelligere, qua ratione ex consilio, quo neminem

<sup>a</sup> Edd. convenient.

<sup>1</sup> 1 Cor. 6, 12; 10, 22 sq.

<sup>2</sup> 1 Cor. 9, 4 sq.; Act. 20, 33 sq.

<sup>3</sup> In eadem edit, Basileensi f. 9<sup>r</sup>: *Si coelibatus con-*

*silium est Evangelicum: quae est ergo vestra vovendi insania, ut ultra Evangelium e consilio faciatis rigidissimum praceptum?*

obligare voluit Christus, ecclesia paeceptum fecerit, quo omnes sacerdotes et monachos obligat, ne sub pena damnationis nubant.

Ad dubium vero simul cum argumento Lutheri respondeo, quod, sicut tempore Christi et apostolorum continentia erat in consilio et non in paecepto, ita semper fuit et nunc est; quapropter perniciosissimum est mendacium dicere, quod ecclesia ex consilio fecerit paeceptum. Nam ecclesia, in re praesertim ad animam pertinente, numquam facit, quod facere non potest. Non enim quemquam sua lege de coelibatu sacerdotum cogit ecclesia, ut sacris initietur aut monachatum profiteatur, quod esset facere de consilio paeceptum; si vero sint aut fuerint multi, qui alio <quam debito><sup>a</sup> fine monachatum aut sacerdotium profiteantur et continentiam non servent aut se servare non posse dicant: id<sup>b</sup> per accidens est; quae vero<sup>b</sup> per accidens fiunt, ex culpa pie et iuste positae legis procedere non possunt. — Ad id vero, quod Lutherani dicunt, ecclesiam non debuisse legem, quam Christus aut apostoli non posuerunt, ponere, respondeo: Distingue tempora, Lutherane, et intelliges, falsissimum esse, quod dicas. Nam sicut apostolis licuit, legem de rerum communione, necessitate temporis eos nimirum cogente, ponere: ita procul dubio, successu temporum diversissimo, debuit ecclesia, | multiplicatis fidelibus, legem condere de coelibatu ministrorum Evangelii, maiore illorum parte tunc ministerium forte appetente. Non enim sua lege instituit ecclesia continentiam aut vota monastica, quae divino iure consulta sunt, sed ipsa cavit, ne stulte vota fierent aut voventium<sup>c</sup> esset confusio; tantum abest, ut laqueum iniecerit animabus, ut adversarii mendaciter garriunt. Sed de iis plura alibi, Deo copiam faciente, scribemus.

Secundum tamen dubium tacite movent quidam ex Catholicis, eo quod visus sum nullum ponere discrimen inter continentiam sacerdotum et monachorum quoad indispensabilitatem. Putant enim illi, quod continentia sacerdotum dispensabilis sit, monachorum autem minime. De eo vero dubio breviter et plane dicam, quod sentio. Ingenue quidem fateor, me intelligere non posse, qua ratione possit Papa aut ecclesia dispensare in continentia sacerdotum et non monachorum; nam sicut redditio voti istorum est de iure divino, ita etiam illorum, et sicut in votis monasticis est solemnitas, qua monachi publice Deo consecrantur et in aeternum dedicantur, ita in continentia sacerdotum. Cum igitur utriusque solemnitas sit a iure positivo humano et eodem iure utrique statui sit annexum votum continentiae: consequens fit, ut, si per praedictam auctoritatem continentia sacerdotum dispensabilis sit, quod pari iure monachorum etiam; quodsi in ista dispensari non possit per ecclesiam, nec in illa.

Ad similitudinem attamen calicis consecrati et Deo in aeternum dedicati, qui numquam potest nec debet aliis rebus applicari, respondeo, quod illa similitudo tam facit pro continentia sacerdotum quam monachorum. Sed dico, quod nemo negabit, Dominum Deum potuisse vasa templi Aaronici, sua lege positiva consecrata et sibi in aeternum dedicata, regiae Balthassaris mensae usibus concedere<sup>d</sup>, qua concessione stante nulla utique irreverentia ille peccasset: ita utique ecclesia potest calicem, sua lege consecratum et sacramenti tantum usibus dedicatum, aliis usibus, si rationabile videtur<sup>d</sup>, applicare. Unde concludo, quod, sicut Papa aut ecclesia potest in continentia sacerdotis solemniter Deo consecrati dispensare, ita potest in continentia monachorum, uno tantum discrimine adiecto, videlicet quod sacerdotum continentia absolute dispensabilis est, monachorum autem nequaquam. Nam nuptiae, ut paulo ante dixi, ex natura rei ordini sacro, sicut monachatu, non repugnant, unde cum Doctor sanctus 2. 2, qu. 80<sup>e</sup>, art. II dicit, non posse per ecclesiam dispensari in continentia | monachorum, intelligit in sensu composito. Dicere itaque vult S. Thomas, quod cum monacho, manente monacho, per nullam inferiorem potentiam dispensari potest, quod nubat; non tamen negat, quod in sensu diviso pro urgentissima causa cum eo, qui fuit monachus, dispensari possit, sicut non semel tantum dispensatum esse perspicuum est. Reliqua vero vota monastica non possunt eam potestatem impedire.

An vero expedit in casu magnae necessitatis, casus est proponendus et rigorose examinandus, ne incidamus in Scyllam, cupientes vitare Charybdim. Casus est: In Germania, verbi gratia, sunt quaedam civitates aut parochiae, ut dicunt, in quibus maior

<sup>a</sup> Ms. condebito.

<sup>b</sup> Edd. addunt de.

<sup>c</sup> Ms. foventium.

<sup>d</sup> Edd. videbitur.

<sup>1</sup> Dan. 5, 2 sq. Huic interpretationi opponit Ioan. Gallo, infra n. 156 in fine.

<sup>2</sup> Ita ms. et edd.; suppone qu. 88, cuius art. II: Utrum in voto solemnii continentiae possit fieri dispensatio.

aut bona pars civium sunt catholici, qui ex animis cupiunt secundum antiquam fidem vivere et secundum formam et ritum catholicae ecclesiae Romanae sacramenta sibi ministrari. Verum in illis partibus non inveniuntur sacerdotes aut monachi catholici ad ministerium idonei; inter catholicos attamen laicos sunt non pauci valde idonei, habentes tam vitae quam doctrinae bonum testimonium, qui onus ministerii ecclesiastici libenter subibunt, ea lege, ut per concessionem ecclesiae liceat sibi uxores retinere aut accipere. Quaeritur, an in tali casu expedit dispensare.

Utrumque sunt adeo valida argumenta, ut me circa propositi casus resolutionem valde dubium, ne dicam perplexum quandoque reddiderint. Dum enim in dubio est animus, ut dicitur, parvo momento hoc atque illuc impellitur. Utrumque autem sunt argumenta non parum urgentia. Pro affirmativa parte primum argumentum est: Quoniam videtur, quod ecclesia tamquam pia mater filiis potentibus panem debeat et teneatur providere de dispensatoribus, qui ministrent eis necessaria ad vitam spiritualem; non enim reperiuntur continentes sacerdotes aut monachi, episcopus dioecesis non potest coniugatos ordinare aut cum iis, qui nolunt continere, dispensare: ergo ecclesia in tali casu debet dispensare; alioquin timendum esset, ne fame invalescente in terra promissionis<sup>1</sup>, id est Romana ecclesia, cogantur filii in Aegyptum ire, ut sibi de cibis provideant. Unde imminens est periculum, ne, qui reliqui sunt in partibus illis catholici, paulatim deficiant a fide ecclesiae Romanae, praesertim cum illic cultum Dei quotidie ex carentia fidelium ministrorum imminui videamus. Et confirmatur, si periculum immineat divisionis et desolationis | alicuius regni aut rei publicae, nisi cum vero regni haerede monacho aut sacris initiatu dispensetur. In tali casu expedit pro bono tantum civili et temporali dispensare, sicut dispensatum quandoque esse clarum est; ergo a fortiori, ubi maius bonum exspectatur et maius malum timetur, valde expediens erit dispensare. Praeterea si expedit cum Graecis Orientalibusque sacerdotibus dissimulare et in nuptiis eorum, qui etiam Latinis cohabit, connovere<sup>a</sup>: cur non expedit, cum catholicis laicis in tali casu dispensare, aut cum quibusdam aliis sacerdotibus orientalibus dissimulare? Qui, postquam temerario ausu nupsere, ad gremium ecclesiae redire ex animo cupiunt, et pollicentur, se <in ecclesia><sup>b</sup> fideliter ministraturos, dummodo suae nuptiae tantisper per Sedem Ap<sup>c</sup> confirmentur. Quorum cuiusdam, qui Bernardus vocatur, memini, qui in ius vocatus in libello, quem ad iudices<sup>d</sup> pro sua defensione scripsit, post multas ineptias pro colophone addidit: *Si vita mea corporali periclitante in die Veneris sancta carnes comedissem, laudavissetis utique factum; cum igitur periclitante anima virginem duxerim, cur non dissimulatis et in meis nuptiis connivetis?*

Pro parte vero negativa ingens est grandium et maiorum malorum abyssus, quae ex tali dispensatione aut dissimulatione indubie sequerentur; ergo non expedit in proposito casu in lege de coelibatu dispensare. Antecedens vero manifestum est. Nam inde omnis Dei cultus profanaretur, sacerdotum avaritia in immensum cresceret, litigiorum et simultatum numquam esset finis, bonorum ecclesiae magna confusio et maxima dilapidatio proveniret, pauperum et impotentium nullus aut minimus respectus minimaque haberetur cura, et militantes Deo contra apostolicum praeceptum<sup>2</sup> negotiis saecularibus se implicarent, et sic ministri ecclesiae canes vere essent muti, contra vitia non valentes latrare<sup>3</sup>. Et confirmatur; nam cum aliunde quam per legis sanctae dispensationem<sup>d</sup> praesentibus ecclesiae malis subveniri potest, tentanda est via aliter subveniendi. Constat autem, quod talis dispensatio esset legis de coelibatu dissipatio et totalis ablatio: ergo non expedit, propter instantem necessitatem<sup>4</sup>, in ea dispensare. Quod autem dispensare in tali necessitate esset legem de coelibatu dissipare et omnino tollere, nemo non videbit, qui in animos omnium hominum, novarum rerum et pecuniarum cupidos, attente prospererit. Dis|pensatio enim cum uno sacerdote magnum aperire ostium reliquis omnibus, similem pecuniis et favore aut aliis praetextis causis procurandi dispensationem, et sic tandem fieret, ut ex omnibus fere nemo propter regnum coelorum, sed propter impotentiam contineret. Omitto alia mala, quae inde sequerentur.

Aliunde vero succurri posse praesentibus ecclesiae necessitatibus, in solutione argumentorum partis oppositae declarabitur. Ad primum igitur argumentum respondeo, quod, sicut ecclesia, quae pia mater est, tenetur facere, quod in se est, ut potentibus

<sup>a</sup> Edd. convenire.<sup>b</sup> Item illi ecclesiae.<sup>c</sup> Ms. divites.<sup>d</sup> Edd. dissipationem.<sup>1</sup> Gen. 47, 4.<sup>2</sup> 2 Tim. 2, 4.<sup>3</sup> Is. 56, 10.<sup>4</sup> 1 Cor. 7, 26.

panem de legitimis ministris provideat: ita petentes debent, quod in se est, facere et ad Deum converti, ne in angustiis positi a fide maiorum deficiant; et sicut qui vere ex corde est catholicus, tametsi in nemoribus aut apud Scythas agat, non deiicitur animo aut fide infirmatur, sperans, Deum sibi non defuturum, quamvis omne ministerium videatur sibi<sup>a</sup> deesse: ita procul dubio illi Catholici inter schismaticos degentes facere debent. Et sicut olim Israelitis, hinc et inde ab hostibus in figura tentatis et multum vexatis, Dominus suscitabat duces et iudices, qui eos ab angustiis liberarent: ita profecto illis fide integra sperandum est, quod ecclesia reformata suscitabuntur multi fideles ministri, qui collapsa erigant et pusillanimes per legitimum sacramentorum ministerium confortent. Ad confirmationem<sup>1</sup> vero respondeo, quod longe aliud est dispensare cum sacerdote, ut nubat, dummodo ministerio non fungatur, et cum eodem utriusque usum retinente; primo namque modo nihil inconvenit in magna et vera necessitate dispensare, ut supra dictum est. Ad tertium dico, magnam esse dissimilitudinem Orientalium et Occidentalium sacerdotum; cum illis enim, qui legem non receperunt, ecclesiam dissimulare expedit; cum <istis autem><sup>b</sup>, pro quibus lex legitime est posita quique eam salubriter receperunt, dispensare aut dissimulare nullo pacto expedit. Ratio autem Bernardi illius, qui sibi persuasit connivendum fuisse in suis nuptiis, ex ignorantia profecto legum et finis earundem processit; quapropter relicto eo egregio pastore cum sua virgine fatua, pro resolutione propositi casus dico et obtestor vos, Patres conscripti, ne in ea de coelibatu sacerdotum lege dispensando magnis malis inde indubie secuturis ostium aperiatis. Deberetis enim <sup>20</sup> potius aliis impertinentibus dispensationibus ostium claudere; nam ex illis | maximus legum contemptus processit.

Superest nunc de duobus ultimis articulis tractare, in quorum explanatione quaedam, quae forte desiderantur, adiungemus. Dixi enim in quarto articulo, quod pauci sunt, qui continent, quia pauci continere volunt; sub quo multa latent dubia, ex quibus tantum duo brevitatis gratia proponam. Si quidem continentia est magnum donum Dei<sup>2</sup> desursum descendens<sup>3</sup>, et dona Dei non sunt volentis aut currentis, sed Dei tantum miserentis<sup>4</sup>, ut profitetur Apostolus: qua ratione, dicet aliquis, fieri potest, ut vas fictile homoque terrenus<sup>c</sup> contineat, cum vult continere? Numquid habes tu Deum in manica tua, ut inde, cum vis continere, <donum continentiae recipias, aut, cum non vis continere,><sup>d</sup> reliicas?<sup>e</sup> Ex ea magna utique difficultate quidam paucis et prudenter se explicant respondentes, quod veri Christiani, qui volunt, continent vivunt, quia nostris precibus et meritis donum continentiae impetramus et meremur. Non enim, inquiunt<sup>f</sup>, et valde bene, frustra Dominus in Evangelio nobis pollicitus est<sup>5</sup>: *Petite et dabitur vobis, pulsate et aperietur, et: Omnis qui petit, accipit, et alibi<sup>6</sup>: Si quis autem vestrum indiget sapientia, qua se continere valeat, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non impropperat; postulet autem in fide, nihil haesitans.*

Verum quamvis quae dicuntur multum vera sint, tamen, quia constat, non omnia dona precibus aut meritis impetrari aut donari nobis: aliunde quaerenda est ratio praedictae Christianae libertatis. Admitto autem, quod existentes in gratia condignitate meriti merentur augmentum gratiae, et insuper mereri possunt donum continentiae. Non tamen admitto, perseverantiam in donis Dei aliquem praeter Christum sibi aut aliis mereri potuisse. Cum igitur dona, quae Christus nobis meruit, gratis nobis dentur, unica alia ratione ad dubium respondeo et articulum simul probo. De iis, quae pendent ex mera Dei voluntate et ex nostro libero arbitrio, debemus loqui secundum id tantum, quod nobis in Scripturis revelatum aut insinuatum est. Sed insinuatum est nobis in evangelica Scriptura, quod, qui continere volunt, recipiunt continentiae donum: ergo verum est et evangelicum, quod pauci continent, quia pauci volunt continere. Maior declaranda est et minor probanda. Pro maioris, quae maxime<sup>g</sup> evangelica est S. Thomae, declaratione advertendum est, quod sunt quaedam dona Dei absoluta, quae absolute | pendent ex Dei mera voluntate et liberalitate<sup>h</sup>, sub nullo merito humano cadentia, quae tamen communicantur hominibus, eisdem nihil minus cogitantibus. Verbi gratia incarnationis Filii Dei donum est huiusmodi,

<sup>a</sup> Om. edd.<sup>b</sup> Edd. autem istis,<sup>c</sup> Edd. terreus.<sup>d</sup> Om. edd. per saltum; Ms. adiecit in margine.<sup>e</sup> Edd. eiicias.<sup>f</sup> Edd. inquit.<sup>g</sup> Edd. maxima.<sup>h</sup> Edd. libertate.<sup>1</sup> Scilicet ad eam partem objectionis, quae incipit a verbis *Et confirmatur*, supra p. 455 l. 43.<sup>2</sup> Sap. 8, 21.<sup>3</sup> Iac. 1, 17.<sup>4</sup> Rom. 9, 16.<sup>5</sup> Matth. 7, 7 sq.<sup>6</sup> Iac. 1, 5 sq.

de quo Esaias<sup>1</sup> et post eum Apostolus<sup>2</sup> dicit: *Oculus non vidit et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit*, donum scil. incarnationis Filii Dei, quod *Dominus praeparavit diligentibus se*, illis nimirum nihil tale cogitantibus aut volentibus. Unde div. Thomas probat, Filium Dei sine peccato numquam incarnatum<sup>a</sup> fuisse, nimirum quia de huiusmodi dono non loqui possumus aut debemus, nisi ex iis, quae Deus nobis revelavit<sup>b</sup>. Sunt vero alia dona Dei, gratis etiam data, quorum quaedam, ut ex Scripturis constat, volentibus etiam negantur; verbi gratia mori pro Christo magnum Dei donum est, multis tamen sanctis id volentibus et appetentibus negatum est. Alia autem sunt, quae nisi volentibus et ex animis ea cupientibus non dantur; verbi gratia perseverare in bono gratiae magnum Dei donum est, quod utique numquam datur nisi ex corde volenti perseverare, et quandoque negatur occulto Dei iudicio etiam volenti. Alia autem sunt dona gratis data, quae volenti numquam negantur; quale est<sup>c</sup> donum continentiae, de quo sicut de aliis loqui possumus secundum id, quod ex Scripturis nobis revelatum aut insinuatum est.

15 Quod autem in evangelica Scriptura nobis insinuatum sit, quod, qui vult continere propter regnum coelorum, recipiet donum continentiae, ut in minore dicebatur, manifeste deducam ex citato loco 1 ad Cor. 7, 37, ubi de parentibus virginum affirmat Apostolus, quod *qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicat in corde suo, servare virginem suam, bene facit*. Ex 20 iis apostolicis verbis sic colligo: Pater servans virginem suam, ut contineat, cum circumstantiis illic positis apostolica auctoritate, bene facit; non autem bene faceret, servando virginem, ut contineat, si ex apostolicis verbis non intelligeret, quod sua virgo simul cum proposito aut voto continentiae esset receptura a Deo donum continentiae; ergo verum est, quod in praedictis apostolicis verbis nobis omnibus insinuatur, quod, qui vult continere, recipiet<sup>d</sup> continentiae donum. Quod autem non bene faceret, nisi sic verba Apostoli intelligerentur, luce clarius est; nam praesumptuosum valde esset cogitare, quod solum, quia virgo vult continere, potest continenter usque ad mortem vivere. Nam 9<sup>22</sup> nemo fidelium non intelligit, quod ex nobis sufficientes non sumus aliquid cogitare<sup>e</sup>; tantum abest, ut cogitatam aut voto firmatam continentiam sine dono Dei servare possimus<sup>f</sup>.

Designantur autem in apostolicis verbis tres circumstantiae, quas donum continentiae concomitatur. Prima est, quod non ex levitate aliqua, sed firmus aut firma in toto corde suo statuat, se velle propter Christum et regnum eius continere. Secunda, quod id pater virginis, non quia clauda aut lippis est oculis aut pauper, persuadeat, et ipsa eadem ratione consentiat; sed continentiam pater et virgo debent<sup>b</sup> in animam inducere, nullam habentes necessitatem. Tertia *habentes potestatem suae voluntatis*, quo vult Apostolus, magno consilio maturaque deliberatione indigere, qui aut continere proponunt aut continentiae votum emittunt. Tres vero istas Christiani coelibatus apostolicas circumstantias libenter quamvis breviter hic notare volui, ut ex eis secundi dubii, quod ex eodem articulo se offert, nodum faciliter dissolvam.

Si tanta est Christiani animi, dicet aliquis, ex adjuncto continentiae dono virtus, ut, qui vult, valeat continere: cur dicitur in articulo, quod pauci sunt, qui continent, quia pauci volunt continere, praesertim cum infinitus sit numerus profitentium, se velle continere, et plenus sit mundus tam monachorum quam sacerdotum, sub diversis regulis et institutis profitentium continentiam? Respondeo, concedendo quidem, quod magna est multitudo eorum, qui continentes videri volunt; sed magna illorum pars, ne dicam maxima, non adhibitis apostolicis circumstantiis, proposuerunt aut voverunt continentiam; idcirco mirum non est, si pauci propter Deum et regnum eius contineant aut continere velint.

<sup>a</sup> Edd. incarnandum.<sup>b</sup> Om. edd.<sup>c</sup> Edd. et Ms. indicat.<sup>d</sup> Cod. recepit.<sup>e</sup> Cod. possit.<sup>1</sup> Is. 64, 4.      <sup>2</sup> 1 Cor. 2, 9.

<sup>3</sup> S. Thomas 3, qu. 1, art. 3 haec est sententia: *Respondeo dicendum, quod . . . quidam dicunt, quod, etiam si homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset. Alii vero contrarium assurunt; quorum assertioni magis assentiendum videtur. Ea enim, quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creatureae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scrip-*

*tura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde cum in sacra Scriptura uniuscuiusque incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicuntur, incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium peccati, ita quod peccato non existente incarnatione non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur; potuisset enim etiam peccato non existente Deus incarnari.*      <sup>4</sup> 2 Cor. 3, 5.

Si hic praedicandi locus daretur, longum profecto sermonem facere possem de proposito egregio themate; verum quia disputatorem, non praedicatorem hic ago, duabus dumtaxat adhibitis Christianis cautelis praesenti malo providendum censeo. Primum publica ordinatione cavendum est, ne plures novae regulae aut novae continenter vivendi rationes admittantur et superinducantur. Ut vero regina *in vestitu deaurato, circum-amicta colorum varietate*<sup>1</sup>, in bonis sponsi sedeat, antiquas religiones quas vocant iamque diu receptas conservare, reformare atque ad normam et ritum sanctorum patrum, sub quibus cooperant et fundatae sunt, paulatim et quoad fieri potest, reducere oportet. Ceterum si neglecta praedicta sancta tot ordinum reparacione<sup>b</sup> cuiilibet liceat, novo vario-que vestitu aut nova et a se excogitata libera vivendi ratione continentiam profiteri<sup>c</sup>: in immensum crescat stulte voventium numerus, et libere licebit adversariis, nomen nostrum blasphemare. Deinde antiquorum canonum renovatione et sub novis poenis providendum est, ut, qui deinceps sive ex monachis sive ex laicis sacris sunt initiandi aut ad sacerdotia recipiendi, probati, docti et superadulti sint, ut sic successu temporum idoneis et non inutilibus ministris ecclesia repleatur.

Circa quintum et ultimum articulum advertendum est, quod Lutherani in eo errore, sicut in reliquis, se suo gladio iugulant, dum litteratissimi doctores dicunt, ecclesiam nuptias damnare, eas sacerdotibus interdicendo, quod probare contendunt ex verbis Apostoli, in I ad Tim. epistola 4, 3 praedicente, in novissimis temporibus quosdam a fide discessuros, qui attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum nuptias prohibebunt. Quibus ego eundem sane locum oppono, et interrogo, an Apostolus eo loco de Simone et eius schola, qui nuptias sicut cibos natura malos esse dicebant, qua propter sicut abstinentiam ciborum<sup>d</sup>, ita nuptias prohibebant, loquatur? <Respondent utique><sup>e</sup> in suis libris, Apostolum iuxta sensum litteralem de illis sui temporis blasphemis doctoribus eo loco, sicut in multis aliis, indubie esse locutum. Cum igitur vos, Lutherani, perpetuo nobis obiciatis, quod relicto sensu litterali Scripturam aliis retortis sensibus devexamus: cur vos hic sicut frequentissime alibi, neglecto sensu litterali, sanctae ecclesiae et eius legitimo pastori universali tribuitis, quod Apostolus hostibus Iesu Christi et veritatis evangelicae tribuit? Interrogo vos praeterea, an prohibere nuptias spadonibus aut infantibus aut aliis ad coniugium inidoneis sit nuptias damnare an potius honorare? Quia igitur ecclesia sancta iis tantum nuptias interdicit, qui de rebus mundi solliciti esse et uxoribus complacere non possunt, quae est potissima ratio coniugatorum, ut superius dictum est: propterea, inquam, in ultimo articulo dixi, quod ecclesia interdicens nuptias sacerdotibus eas honorat; tantum abest, ut damnet, sicut vos infideliter dicitis. Coniugati enim Christiani ad tempus tantum relinquere possunt uxores et familiam, ut orationibus vident<sup>f</sup>; sacerdotes vero semper orare et rebus divinis vacare debent; quare, si uxorati essent: aut circa Deum aut circa uxores in officio necessario deficerent.

Et haec sunt, quae mihi videbantur pro mei ingenii tenuitate ad propositos articulos dicenda. Omnia, quae hic aut alibi dixi quaeque dicturus sum, vestrae omnium sacrosanctae censurae<sup>g</sup> libens et prudens submitto.

## 155.

## Congregatio theologorum.

Examinantur iidem articuli de sacramento matrimonii.

*Conc. 5 f. 248<sup>r</sup>, Mass., Conc. 121 f. 271<sup>v</sup>. (Theiner II 259 sq.)*

Eadem die 16. martii hora 20. habetur congregatio theologorum etc.

Ioannes de Ludenna ord. Praed. Hispanus, qui hoc mane votum suum absolvere non potuit ob temporis angustiam, prosequendo dialogum iam incepsum, secundum articulum ab eo propositum, videlicet: Castitas praferenda est matrimonio, et maiorem gratiam Deus dat castitati quam matrimonio, probavit ex verbis Christi [etc., prout fusius in voto scripto].

**Franciscus Orantes** ord. Min. de obs. Hispanus<sup>4</sup>. Articuli duo classis tertiae haeretici sunt; et cum opponunt haeretici I Tim. 4, 3 de prohibitibus nubere etc. et

<sup>a</sup> Edd. donorum.<sup>b</sup> Ms. praeparatione.<sup>c</sup> Ms. providere.<sup>d</sup> Edd. Respondenturique.<sup>e</sup> Ms. et edd. addunt me.<sup>1</sup> Ps. 44, 10 et 15.<sup>2</sup> Supple statuebant, vel quid simile, iuxta I Tim. 4, 3 sq.<sup>3</sup> I Cor. 7, 5.<sup>4</sup> Cuius votum Theiner omisit sub formula: *qui eodem fere sensu locutus est.*